

ULGERII EPISCOPI ANDEGAVENSIS

AD INNOCENTIUM II PAPAM

RELATIO PRO MONASTERIO ROTENSI

Adversus monachos Vindocinenses.

(BALUZ. *Miscell.* edit. in-fol., t. III, p. 15, ex chartario ecclesiæ S. Licinii Andegavensis.)

Unice Pater orbis et domine. Charitas et pietas nos impellunt ut respondeamus pro Joanne paupere et pro loco suo pauperrimo, quos Vindocinensis abbas et monachi aptitudine suæ affinitatis et mole facultatum suarum, quas ipsi habent nimias, moliantur suffocare, domine mi papa Innocenti. Cum pauper iste tandem ad nos defessis alis pervenerit, nullum præmisit, nullum secum adduxit, nullum qui sequeretur ex condicto expectat vel expectavit. Solus est, impotens et pauper est. Solus a multis impetitur; impotens a potentibus, pauper a divitibus circumdatur. Anxiatu est in eo spiritus ejus. Ideo succurrere ei desidero; quia non est liberi nec Christiani hominis, non subvenire oppresso. Iste quidem servus vester et fidelis pro posse suo, canonicus est regularis ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Bosco, quæ inter sanctas habetur sanctissima, sed inter pauperes cognoscitur esse pauperrima. Hinc, inquam, pauper filius ejus, pro paupere matre statim pugnaturus, orat et supplicat pedibus majestatis vestræ, et nos cum illo et pro illo oramus et supplicamus quatenus aures capitis vestri et cordis dignemini convertere ad responsa suæ defensionis. Neque enim est nobis animus serenitatem et reverentiam vestræ gravitatis otiosis sermonibus detinere. Tullio et Tullianis sit sua rhetorica. Sed puram veritatem, quæ cum liberabit, et ea tantum quæ sibi ad hoc negotium sint necessaria, simpliciter et succincte vobis et curæ vestræ præsentî proposuimus intimare.

II. Nobilis quidam de nostratibus ædificavit duas ecclesias, unam in abbatiam Regularium canonicorum, qui extunc in ea usque modo devotissime Deo deservierunt; alteram vero in capellam et in oratorium sibi et suæ propriæ familiæ construxit. Et hanc ipsam inter ædificandum dicitur, et recognoscitur ab adversario, illi regulari ecclesiæ, de qua ante diximus, contulisse. Hæc autem capella nihil omnino de reitu juris parochialis possidebat. Sed permittentibus illis regularibus canonicis quos jam commemoravimus, ille idem Dominus capellanos suos, quos feodatos habebat et habuerat jam antea multo tempore, assignavit ei, ut inibi more canonico celebrarent divinum officium in honorem Dei

et piissimi Nicolai quorum possessiones erant incensivis, in agriculturis, in vendis forensibus, in furnis, in molendinis, et in his quæ fuerant excerpta de dominicatura et de mensa ipsius domini; quæ licenter posset dedisse alicui suorum militi sive clienti, si placuisset, aut mimo aut histrioni, si leviter agere voluisset.

Postmodum vero filius tui illius intelligens illam regularem Ecclesiam plus nimis indigere, quia sita est in terra sterili, in locis palustribus atque silvestribus, unde ipsa Ecclesia de Bosco nominatur, ad perficiendum hoc quod suus antecessor incœperat animum intendit, et ad supplementum inopiæ victus et vestitus pauperum fratrum, capellam quam sæpe replicamus cum tota capellania jam multoties nominatæ abbatiae dedit. Verum ut hoc suum desiderium recto itinere incederet et debito ordine cederet, quidquid dominationis, quidquid potestatis in eam habuit, totum id penitus refutavit et posuit in manu domini mei Rainaldi venerabilis ante Andegavensis episcopi et modo Remensis archiepiscopi, affectuose deposcens quatenus hoc suum depositum illi regulari monasterio quod multoties revolvimus tam redderet quam donaret.

III. Sane dominus meus ille episcopus, valde congratulatus ante de tanto incremento illius indigentis Ecclesiæ, sicut suscepit de manu illius nobilis, sic investivit illam pauperem abbatiam de ista capella in manibus Albini abbatis, tradendo ei claves illius capellæ, tradendo ei cordas signorum ejus, necnon et chartam constitutionis ejusdem, insuper et libros, et si qua sunt alia. Hoc autem concesserunt capellani servitio ipsius capellæ attulati, et se ipsos et suas capellantias, sive mavis dicere præbendas, in manu abbatis et dispositione ejus reddiderunt. Hoc concessit archipresbyter loci illius Rainaldus, et noster decanus Normannus, et nostrum capitulum, quorum illa capella censualiserat. Et hoc concessi ego Ulgerius, qui eo tempore indignus administrabam officium archidiaconatus, hac conditione, ut numerus servientium non diminueretur.

IV. Et ut hoc totum opus perfectissimam consumptionem sortiretur, ipsum abbatem Albini desti-

navit idem dominus meus episcopus ad dominum nostrum papam benedictum Paschalem, orans et supplicans ei et dexteram dignationis suæ huic elemosynæ imponeret, et hanc capellam illi abbatiæ, de qua nobis est sermo, daret et concederet et apostolica auctoritate confirmaret. Qui de more suæ benignitatis tam dignis petitionibus, tam justis precibus inclinat, rogata concessit, et per apostolica scripta, quæ gratissima nobis in medium attulimus, et vobis, videte, videte illa, ostendimus et offerimus, hanc capellam illi abbatiæ confirmavit, et Albinum et socios ejus satis et super satis lætos, lætissima sit anima ejus, ad propria remisit.

V. Ex illa autem die abbas Sanctæ Mariæ de Bosco tenuit illam capellam, non ut in suam, sed vere suam, et habuit et obtinuit plenissimum jus in ea abbatis et domini, cantando in ea privatim et publice pro velle suo, cantando in festis et in profestis diebus; et obeunte vel abeunte aliquo de capellanis illius capelle, abbas in loco vacuo et jure suo substituit quem elegit, sæcularem quem voluit, et regularem quem placuit. Tenuit autem illa abbatia et possedit hanc capellam, ut de antiqua donatione tacemus, in temporibus domini nostri papæ Paschalis, quoad ipse supervixit, et in diebus domini nostri papæ Calixti nobilissimi, et in diebus dulcissimi domini mei papæ Honorii, et in diebus vestris, Innocenti reverendissimo.

VI. Usque ad hoc momentum urbani et periti oratores non detrahebant nobis, eo quod auditis adversariorum argumentis, statim non in ea involavimus, et ad succidenda ea non festinavimus. Per hanc enim viam rei gestæ narrationis liberius et compendiosius pedetentim ad illa accedemus, et ea ipsa maxime in quibus adversarii plus confidunt, inutilia et futilia esse ostendimus, et ariete rationis diruimus, aut quasi quid habent vigoris et jurium magis ex nostra parte quam ex parte adversariorum stare probavimus.

VII. Abbas Vindocinensis intendit in abbatiam Sanctæ Mariæ de Bosco et in hanc pauperem filiam ejus in hoc modo. Injuste tenetis capellam Sancti Nicolai de Credone, et injuste nobis aufertis eam. Joannis est depulsio. Nec eam vobis auferimus, aut injuste eam tenemus. Nostra enim est ratio juris et longitudine quietæ possessionis. Abbas Vindocinensis ad probationem partis suæ adduxit quod Rainaldus Remensis archiepiscopus, qui ante erat Andegavensis episcopus, et Gilbertus Turonensis archiepiscopus, adhibitis sibi Hdeberto Cenomanensi episcopo et aliis sapientibus, adjudicaverunt Ecclesiæ Vindocinensi investituram capelle Sancti Nicolai, et quod papa Calixtus necnon dominus noster Innocentius et Petrus Leonis in tempore suæ legationis id ipsum confirmaverant. Insuper astruit abbas Vindocinensis quod Gaufridum suum antecessorem Rainaldus dominus noster Andegavensis episcopus de illa capella investierat iudicio, et iudicii et investituræ testes litteras sigillatas ei fecerat, et

A quod illa capella infra parochiam Sancti Clementis, quæ sua est, facta sit.

VIII. Joannes hic omnia hæc infirmat. Illud quod iudicium vel adjudicationem vocatis, si inoffensa majestate domini mei Remensis archiepiscopi potest dici, non fuit nec debet dici iudicium, sed potius præjudicium sive peregrinum iudicium; aut iustum iudicium non fuit, quia non fuit factum apud eum quem debuit, nec per eos quos debuit, nec eo modo quo debuit, nec eo loco, nec eo tempore, neque circa hos circa quos decuit. Apud eum apud quem debuit non fuit factum. Apud papam duntaxat debuit iudicari, non apud quemcumque alium, de re ista quam magnificentis Paschalis papa dederat, quam concesserat, quam litteris et sigillo suæ auctoritatis confirmaverat. Per illos, per quos debuit non fuit factum, quia in primis per papam, et post ipsum, per cardinales suos, et per eos quos admisisset, et non per alios, debuit fieri. Unde nec per Turonensem archiepiscopum nec per Cenomanensem episcopum debuit fieri. Insuper autem adhuc dicunt Turonensem archiepiscopum adjudicasse monachis illam infamem investituram, imo inversuram. Respondemus causam non advenisse ad ipsum archiepiscopum, nec delatam fuisse ad ipsum, sed ipsam venisse ad causam hortatu et ducatu Vindocinensis abbatis, qui de festo Sancti Mauricii infecto ipsum archiepiscopum extraxit, et Andegavi sumptibus a Turoni abduxit, et ut suum causidicum pridie quam causa tractaretur, et quancumque tempore ante Andegavi fuit, eum abbas procuravit, et ab hospitio abbatis ad causam cum abbate venit, et a causa ad hospitium abbatis cum abbate rediit. Tunc temporis quidquid scivit et potuit ad opus abbatis Vindocinensis, et fecit et potuit. Et ideo nobis suspectus fuit. Eo modo quo debuit factum non fuit, quia festum Sancti Bartholomæi transierat quando episcopus diem ad agendum, videlicet crastinum ab instante tunc festo, præfixit. Illi autem quos episcopus vocabat ad causam, causati sunt breviter huius termini et duritiam Credonensis domini, qui eis sæpius sua aufererat, et aliquando canonicum a se captum nisi redemptum abire non permittebat. Dictum etiam fuit ab illis quod illa capella, pro qua ad causam vocabantur, abbatiæ de Bosco erat. Ad causam equidem venirent die constituto; sed causam non ingrederentur, nisi prius iudicaretur si causæ illæ sufficientes essent ad impetrandum sibi saluum terminum et commodiorem. In illo termino cum utraque pars convenisset, et abbas Vindocinensis quæreret iudicium de jam dicta capella, respondit pars adversa se causam illam non ingredi, nisi prius sit iudicatum si causæ superius dictæ sufficientes essent, ne eo die ratione possent cogi ad placitandum, sicut et in positione istius termini ipsi determinaverant. Insuper non fuerunt vocati secundo nec tertio. Eo loco quo debuit factum non fuit, quia nec ante papam. Nec in loco iussionis factum fuit, quia illi clerici qui impetebantur, iudicias sex

mensium ad agendum de vita sua, scilicet de præbendis suis, de usufructu quarum in servitio Dei vivere debebant, et servitio quarum ordinati erant, obtinere non potuerunt. Circa illos circa quos decuit factum non fuit, quia circa abbatem et circa canonicos regulares Sanctæ Mariæ de Bosco factum non fuit, quorum tantum erat et proprietas et possessio sæpissime jam præfata capellæ datæ et confirmatæ per Andegavensem episcopum, per archidiaconum, per archipresbyterum, per decanum et capitulum Sancti Mauricii, per capellanos illius capellæ quæ nobis est in ore, et ad cumulum, per dominum nostrum papam magnificum et mirificum Paschalem, cujus auctoritas supergreditur et excedit longe omnes donationes et confirmationes aliorum. Unde nos confisi de summi iudicis misericordia et vestra, similiter de Dei et nostræ et horum pauperum justitia, confidenter dicimus, quandoquidem isti regulares canonici non fuerunt vocati ad causam nec iudicati, illud quod hic iudicium nominatur, circa hos circa quos decuit factum non fuit, nec istos regulares debere damnari, nec propter hoc a causa præcipitari, etiamsi illi sæculares capellani, cum ipsi essent vicarii prædictorum regularium et officiales eorum et..... et instrumentum, pro culpa sua et pro defectu suo a causa exciderunt. Imo nos affirmare credimus quod si argumenta adversarii efficacia essent, ad removendos sæculares capellanos valerent, regularibus autem non obsessent, sed prodescent, cum sæcularium depositio regularium esset admissio, et cum regularium ipsorum sit, et non alterius personæ, in locum ipsius capellæ vacuum intrare, et vel sibi retinere, vel alii quem eligent dare.

IX. Ad hoc quod dicunt adversarii, dominum Andegavensem episcopum investituram fecisse Gaufrido Vindocinensi abbati de capella post hoc iudicium, respondemus quod investitura ex tali iudicio non est approbanda, et nos desiderare et desiderando orare apostolicam dignitatem et ejus sanctæ curiæ auctoritatem ut iudicent utrum investitura apud talem, et per tales, tali modo, tali loco, tali tempore, circa tales, facta et iudicata, investitura debeat esse vel dici, vel inversura, cum a papa et a curia ejus nulla nisi canonica fuerit sic admitenda nec pro investitura habenda, et cum illud quod vocant investituram, in legis tantum et vocalis esset, non realis, neque materialis, et magis præceps et festinata quam excogitata.

X. Ad hoc autem quod adversarii dicunt, Rainaldum episcopum Andegavensem investivisse Gaufridum abbatem Vindocinensem de capella per clavam ipsius capellæ, respondemus quod huic argumento, imo arguto et arguendo mendacio, obviat, et quod multis clericis et plurimis laicis patet Albericum sacerdotem in memorata clave extracta de paltheo et sua propria insuper et viginti libris promissis abbati Vindocinensi redemisse filium suum Paganum monachum ab intolerabili jugo Vindoci-

A. nouis monasterii, et eum redemptum reddidisse abbatiæ Sancti Albani.

XI. Quod autem dicunt Andegavensem episcopum fecisse chartam eis in testimonium iudicii et investituræ, magis videtur eis officere quam proficere, quia non fuit composita per eum qui ante erat magister scholarum; cum in Andegavensi ecclesia nulla charta de rebus ad Andegavensem pertinentibus soleat recipi, nisi a magistro scholarum dictata et laudata fuerit. Addimus quod charta illa non continet priores nostræ Ecclesiæ, quibus quæcunque charta caret non tantum perdit auctoritatem, sed etiam meretur calumniam.

XII. Contra hoc quod asserunt dominum Calixtum papam et vos et dominum Petrum Leonis confirmasse tale iudicium et talem investituram, non est mirum si ista confirmavistis, qui nullum super hoc ratiocinantem audiebatis. Verum Romana Ecclesia illius discretionis semper debet esse ut si aliquis ab ea falsitatem inducendo, vel veritatem tacendo, alicujus rei confirmationem injustam obtinuerit, agnita veritate, tali occasione nulli rem suam debet auferre. Dominus Gaufridus abbas, qui multum prudens et multum litteratus et multum eloquens fuit, satis ostendit quod in his rationibus non multum confidebat, nec multum urgebant, qui Turonis, ubi vos et abbas et nos vobiscum eramus, de capella ista nullum clamorem protulit; similiter nec in celeberrimo Remensi concilio, ubi archiepiscopus Remensis fuit, cui isti innituntur, et ubi nos vobiscum fuimus, super hoc quod isti clamant, clamorem sive querelam ad aurem sanctitatis vestræ detulit. Ad ultimum, isti regulares, qui modo possident, parati sunt comprobare capellam illam jam a triginta annis vel a quadraginta fuisse datam ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Bosco, sine reclamatione legitima sibi facta.

XIII. Nunc autem, reverendissime Pater, pervolate partem adversariorum et nostram, et conferte auctores auctoribus, assensores assensoribus, modis modis, loca locis, tempora temporibus, impetitores impetitis, et quod etiam per nos non rogati faceretis, recte judicantes, sæpissime jam commemoratæ abbatiæ de Bosco hoc summi satis parvum solatium adjudicate. Quod si apud vestram sublimitatem oratio nostræ parvitatæ nullius fuerit, commoveant viscera vestra paupertas hujus fratris et ecclesiæ suæ pauperis humilitas, quia vos estis sustentator pauperum, et pater orphanorum, et advocatus eorum. Vos estis iudex iudicium terræ. Sententia vestra definit universas. Exceptio personarum non fuit apud Christum, nec debet esse apud vos vicarium ejus. Vestrum est bene posita confirmare. Amodo sollicitudinem causæ pauperis istius et fratrum suorum in sinum clementiæ vestræ proficere. Amodo curam hujus pauperis Joannis et aliorum fratrum suorum habeatis. Quia, domine, tibi derelictus est pauper. Orphanorum non dicam eris, sed sis adjutor.